

406. — Greven. 1241 (1240), Januar 27.

Die Bischöfe Rudolf von Münster und Engelbert von Osnabrück, die Grafen Otto von Tecklenburg, Balduin von Bentheim, Ludwig von Ravensberg und Heinrich von Dale, sowie die Edelfherren Hermann von Lon, Wigbold von Holte, Otto von Horstmar und Johann von Ahaus bekunden eine Stühne zwischen den beiden Edelfherren Rudolf von Steinfurt.

2 Originale (A u. B.) im Fürstlich Bentheimischen Archiv zu Steinfurt. Hier nach dem Druck: Jungius, Historia com. Bent. Codex Nr. 22.

In nomine sancte et individue Trinitatis; amen. Ludolfus Dei gratia Monasteriensis episcopus, Engelbertus ejusdem gratia Osnaburgensis episcopus, Otto comes de Tekeneborgh, Baltwinus comes de Benthem, Loduwicus comes de Ravenesberg, Hermannus nobilis de Lon, Wicholdus nobilis de Holte, Henricus comes de Dale, Otto nobilis de Horstmere, Johannes nobilis de Ahus universis Christi fidelibus hoc scriptum intuentibus salutem in eo qui vera salus est omnium. Quia sepe fit, ut veritati originis obsistat longinquitas temporis, idcirco coram nobis rite acta scripto commendata posterorum noticie condigne transmittuntur. Tenore igitur presentium tam presentis quam future etatis hominibus innotescat, quod cum inter dominum Ludolfum de Stenvordia ex una parte et Ludolfum filium fratris sui ex altera super castro Stenvorde et omnibus suis attinenciis lis et contencio verteretur, proborum tandem et nobilium vyrorum mediante consilio talis amicabile compositio intercessit: Omnia bona feodalia que dominus Ludolfus de Stenvorde tenuit ab ecclesia Osnaburgensi resignabit in manus domini Engelberti Osnaburgensis episcopi conferenda nepoti suo Ludolfo et ipse dominus Ludolfus de Stenvorde nichilominus coadunata manu recipiet eadem bona in feodo a domino Osnaburgensi episcopo cum prefato nepote suo Ludolfo, ut

si contingat eundem nepotem suum sine legitimo herede decedere, predictus dominus Ludolfus infeodatus sit eisdem bonis ab ecclesia memorata. Set si qua bona sunt de eisdem bonis ecclesie Osnaburgensis que ministeriales ejusdem domini Ludolfi de Stenvorde qui sui remanebunt tenent ab ipso in feodo, illa non resignabit. Similiter nec illa bona resignabit, que nomine homagii ab ipso tenentur, que sita sunt ab ea parte Emese, ubi jacet castrum Stenvorde. Hec autem resignatio et receptio honorum facta est coram nobis. Item comitiam quam tenet de manu comitis Ottonis de Vlothowe que sita est in Northlant dominus Ludolfus de Stenvorde sepefato nepoti suo dimittet, quam si prefatus comes de Vlothowe dicto nepoti suo conferre noluerit, dominus Ludolfus de Stenvorde eam nepoti suo vel alii cui nepos suus voluerit conferet. Eandem etiam comitiam dominus Ludolfus de Stenvorde coadunata manu a comite Ottone de Vlothowe recipiet in forma superius memorata. Item advocaciam de Claholte dimittet nepoti suo et nullam aliam sive ex una parte Emese sive ex altera. Item dimittet ei ministeriales: Gerhardum de Anghara et fratrem suum Albertum, mulierem ministerialem in Piclo, Gerhardum de Glanthorpe, Littgerum de Vechte,¹⁾ filium Johannis de Erpestorpe, filium Everhardi Grollen, filium Nicolai de Vorthlaghe, filium Borechardi de Dalhem; hos novem dimittet cum bonis eorum. Dimittet etiam ei sex alios: Hermannum de Selen, Wilhelmum de Bredere[c]h,²⁾ Andream filium Bartolomei, Ecbertum de Corethe,³⁾ Reghebodonem Vunken et Arnoldum de Scetbroke; item dimittet ei decimam Rule et decimam Waleghen et decimam Veltsaten et decimam Lenegheren; cum hiis quatuor decimis dimittet eidem omnes redditus liberos, qui *lethege orbere*⁴⁾ vulgariter appellantur, quos habet ex ea parte Emese, qua situm est Osenbrughe exceptis duobus mansis (Ghelenthorpe et Duvelesupgant;⁵⁾ item dimittet ei duas domos in Ermeve et omnes liberos redditus qui in vulgo dicuntur *lethege orbere*⁴⁾ ultra Lippiam in dyocesi Coloniensi. Hec autem bona dimittet ei cum hominibus et omni fructu. Item dimittet ei duos ministeriales ibidem: filium Henrici de Chamene et filiam Hermannii de Lethen. Nullum autem ministerialem vel homagio sibi obligatum preter supra memoratos ei dimittet. Hos autem redditus ei sub hac forma dimittet; ut habeatur estimacio ad quingenta malcia mesure que dicitur *spikermudde* in Stenvorde, et siquid supercreverit, revertetur ad dominum Ludolfum de Stenvorde in bonis sibi commode positis. Si quid autem defuerit, idem dominus Ludolfus nepoti suo subplebit. Si autem inter dominum Ludolfum et filium fratris sui dissensio orta fuerit eo, quod nepos suus in bonis supra memoratis minus quam quingenta malcia esse dixerit, alter autem tantum vel plus esse dixerit, dominus Woltherus de Herthe⁶⁾ vel alia persona idonea, si dominus Woltherus haberi non poterit, in animam